

eaque re falli non posse; nec tamen cultum Ecclesiæ esse reipsa definitionem. Hoc debet hæreticis respondere bonus Thomista; non eludere Alexandrinum decretum; non inficiari, quod Pontifex Maximus verbis illustribus affirmavit. In quo nuperus libellator Gravinam suam non imitatur; qui sincere professus est, piam sententiam tum demum veram existimandam, si Pontifex aliquis præsertionem Deiparæ ad cultum proponeret. Scripsit autem Gravinæ centum fere ab hinc annis, antequam Pontifex Alexander ejusmodi objectum designaret. Cujus auctoris hæc verba sunt tomo secundo Catholicarum præscriptionum, quæstione 6., artic. 6.: *Proferant adversarii absolutò cultu, tamquam ad primarium objectum, Beatam Virginem propositam immaculatam, & præsertatam; & causa finita est.* Primarium autem objectum illud intelligit, quo Conceptionis festus dies constituitur, & quo movemur ad grates Deo persolvendas de beneficio collato in Deiparam Virginem. De hoc enim objecto pertinax erat controversia atate Gravinæ; cum Mariæ præsertionem objectum esse Ecclesiastici cultus nostri contenderent; ille cum suis admodum paucis expiationem a culpa, quam illa contraxerat, esse cultus objectum arbitraretur.

Ad ea vero, quæ secundo loco attulisti, ita respondeo: pueros esse elementarios, qui in epitheto *Immaculata* nugari velint: Ecclesiam ex vetere instituto semper illud attribuisse Mariæ, ut eam puram significaret non modo a sordibus animæ, sed etiam corporis; adeoque Pontifices ipsos antiqui moris retinentissimos censuisse, non esse epithetum loco movendum: Clementem XI. ad eam plane consuetudinem respexisse, cum ita præcepit, *ut festum Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatae ubique in posterum observetur*: in Officio Ecclesiastico Conceptionem Deiparæ *Sancetam* vocari; & epithetum *Sancetam* non modo idem significare, quod aliud *Immaculatam*, sed beatiorem, ac præstantiorem Divinæ Matris conditionem, ac fortem: nec enim solam puritatem a crimine, quam quivis homo habere posset in-

pura